

Tarvisiensis ecclesie episcopo Gunboldo suisque successoribus ecclesieque illis commisse³⁾ per hoc nostre institutionis preceptum, felicis memorie patris nostri Henrici consuetudinem eiusque predecessorum regum videlicet et⁴⁾ imperatorum sequentes, omnia predictae ecclesie precepta cunctaque emptionis, oblationis seu cuiuscunque rate conquestationis⁵⁾ munimina eidem ecclesie a nostris predecessoribus constituta et corroborata et ea, que in illis continentur descripta, ecclesias scilicet et capellas, etiam Sanctam Mariam cum castello Asyllo et omnibus suis pertinentiis ac monasterium Crispulinum seu⁶⁾ abbaciam Sancti Hyllarii, Bladinum quoque et Ceresariam cum ecclesiastico districtu et decimacionibus imperpetuum⁷⁾ corroboramus [et] confirmamus, portum⁸⁾ quoque Tarvisiensem cum legitima aquarum riparumve districtione, monetam publicam, negociaciones mercatorum ceteraque omnia mobilia et immobilia, que per preceptorum vel aliorum nominum cartarum instrumenta prefate ecclesie ab omnibus Deum diligentibus vel timentibus collata et confirmata esse noscuntur cum teloniis interius et exterius colligendis et cum prediis et utriusque sexus mancipiis et familiis diversorum vocabulorum nominibus inscriptis. Insuper etiam ob fidelem devotamque servitutem Gunboldi eiusdem sedis episcopi plenum illud servitium, quod nos Verone inde debuimus accipere, in proprium dedimus atque tradidimus, ea videlicet ratione, ut predictus Gunboldus episcopus suique successores nostris quoque nostrorum successorum sive regum sive imperatorum temporibus soluti et omnimodo liberi huius servicii exactione et exhibicione maneant et ad suam ipsius quam voluerint utilitatem idem servitium potestative convertant. Si autem imminet⁹⁾ incendii vel alicuius infortunii periculo iam dicta ecclesia cartas vel aliquas inscriptiones per negligentiam perdit vel perdere quandoque contigerit¹⁰⁾, per hoc nostre confirmationis preceptum corroboramus, ut ipsas¹¹⁾ res predictae ecclesie pontifex potestative teneat, ordinet atque disponat. Precipientes itaque iubemus, ut nullus dux, marchio, comes, vicecomes aut quisquam publicus exactor massarios, libellarios¹²⁾, cartularios, censatos, aldiones, servos et ancillas vel cuiuscunque generis homines super ipsius ecclesie terram residentes pignurare, calumpniare aut iniuste aliquid illis agere audeat, neque ad placitum publicum eos venire compellat, sed si quid contentionis supra illos invenitur, ante ipsius ecclesie episcopum diligenti iudicio finiatur omni contradictione remota. Si quis igitur hanc nostre confirmationis paginam infringere temerario ausu presumpserit, auri libras mille compositurum se noverit, medietatem camare nostre, et medietatem predictae ecclesie suisque pontificibus. Et ut verius credatur et diligentius ab omnibus observetur, manu propria roborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri.